

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Avctoriate Et Svb Avspiciis ... Domini Gvilielmi IX. ...
Academiae Rectoris ... Ad Novi Magistratvs Academici
Inavgvrationem Ipsiſ Calendis Ianvarii A. MDCCLXXXVIII
Celebrandam ... Invitat ...**

Münscher, Wilhelm

Marbvgi, [1799?]

VD18 1332246X

§. XIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-7906

vinae ita satisfecisse, ut poenas a toto humano genere perferendas ipse lueret. Quam notionem in Dialogo non deprehendo, cuius auctor semper, ubi accuratius consilia mortis Christi exponit, in fracta Daemonum potestate subficit.

§. XIII.

Supereft quartum argumentum, quo Dialogum aliud quam Iustini auctoris esse probatur, inter omnia forsan levissimum. Analogiae contrarium esse censetur, Christianum, qui paganus fuerit, in refutandis Iudeis occupari. Consentaneum enim esse, quemlibet ad populares suos se convertere, Christianumque, qui sacris Iudeorum addictus fuerit, Iudeos, qui vero e paganorum numero fuerit, paganos de veritate fidei Christianae edocere. Verum an haec analogia aliquo nifatur fundamento, nec pro arbitrio tantum assumta sit, ego vehementer dubito. Christiani doctores prompti quidem erant ad eas doctrinas, quas, antequam Christianam fidem amplecentur, ipsi fecuti effent, impugnandas, sed quare minus verisimile putemus, eos etiam in aliorum rei Christianae adversariorum obiectionibus diluendis operam posuisse? Certe illa analogia Historiae ope non confirmatur, sed prorsus convellitur. Quemadmodum iam Paulus Apostolus, quamvis Iudeus, et paganis veritatem religionis Christianae persuaferat, ita haud pauci scriptores, qui ante Romanae et Graecae superstitioni dediti erant, Iudeos confutarunt. Conscriptus enim Tertullianus, Romano milite prognathis, et ipse gentium facris, antequam Christo nomen daret, addictus, adversus Iudeos libel-

lum.



hum. Praeterea Clemens Alexandrinus, teste Photio ad anti,
qui ora testimonia provocante n), singulari libro, qui dudum
interiit, Iudeorum errores impugnavit. Collegit tandem Cy-
prianus primum Rhetor deinde Episcopus Carthaginensis testi-
moniorum adversus Iudeos libros tres, in quibus magnam lo-
corum V. T. copiam coegit. — Haec cum exstent exempla, et
eos, qui e paganorum castris ad Christiana acceperint, contra
Iudeos libros exarasse, fictam esse appetat analogiam illam,
qua duce Dialogus a Iustino non esse conscriptus iudicatur.

§. XIV.

Huc usque in argumentis, quibus Dialogum Iustini γνησιον
foetum non esse, V. Langius probare voluit, examinandis ver-
sati sumus, nec ea talia esse, quibus res conficiatur, ostendi-
mus, eaque opera satisfecisse nostro proposito videri possemus.
Si enim nulla certa indicia alius auctoris libello insunt, nihil
est, quod impedit, quo minus antiquorum testimoniorum, Ju-
stino ipsum tribuentium, auctoritatem sequamur. Attamen ad-
di quaedam possunt, quibus fides illorum testimoniorum con-
firmetur. Etsi enim ob consilii disserimen diversitas aliqua in-
ter Dialogum et Apologias, sicuti iam monuimus, intercedat,
haud difficulter tamen in multis rebus similitudo quaedam eo-
rum deprehenditur, cuius exempla nonnulla proferam. Iusti-
nus Philosophum ex Platonis schola se fuisse profitetur, ante-

*n) καὶ τοι καὶ οὐδὲ ἔτερον πεποικιλές μεμαρτυρώται — κατὰ τὸν αὐτοῦ θεοῦ θρήνον
Ιενδαιτῶ πλανη, οὐ Λαζαρίδη Ιεροτόλιμην επιτεκτὼ προσειπτὴν εἰδέσθε. Phot.
Biblioth. Cod. CXI.*